



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. VIII. Quàm plenum, & universale super omnem animam sit amoris dominium: quantáque cum facilitate, qui ex toto corde amat Deum, cæteros quosque sui animi affectus, & motus eidem subjiciat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

adeò voluntas humana summi illius boni causâ facta est, proin, dummodo illud rite cognoscat, proprio quodam, & necessario penè instinctu ad illius amorem urgetur.

## CAPUT VIII.

Quàm plenum, & universale super omnem animam sit amoris dominium: quantâque cum facilitate, qui ex toto corde amat DEUM, cæteros quoque sui animi affectus, & motus eidem subjiciat.



Mor unus quidam re ipsa est affectus, sed qui omnium affectuum instar videri possit: adeò suam omnibus imprimit speciẽ, omnẽque pro arbitrato suo moderatur, & servire suis propensionibus cogit. Si erga objectum aliquod per desiderium tendimus, amor eò nos impellit. Si ab aliquo alio per odium, & aversionem refugimus, idem nos indè avocet. Ille supremum mobile est, quod inferiores omnes orbis in nostro microcosmo circumagit: ille princeps rota, quæ reliquis omnibus in animæ nostræ horologio motum



impertit: ille demum secunda hominis natura, unde illius omnis seu motus, seu quies originem ducit: *Principium movendi, & quiescendi, in quo est.* ( *Arist. L. 2. Phys. tex. 3.* ) Quò se cunque ille vertat, & qualiscunque sit, eodem illico verti, & talem prorsus esse totam animam videas. Ab illo incipit, cessante illo cessat, próque illius varietate, variat omnis nostra operatio. Ità sanè Dionysius Areopagita censuit, nullam in mundo rem moveri, aut operari aliquid scribens, nisi per amorem, sive à natura insitum, sive in appetitu sensibili ortum, sive à voluntate conceptum. ( *De Div. Nom. c. 4.* ) *Propter amorem boni omnia agunt, quaecunque agunt.* Ità visum quoque D. Augustino est: tum ubi affirmat, fieri ab amore in animabus, quod à pondere fit in corporibus: ideóque, veluti hæc non moventur, nisi quò illa suum pondus impulerit; sic neque alios esse animarum motus, nisi qui ab amore imprimuntur: ( *L. 13. Conf. c. 9.* ) *Pondus meum amor meus: eo feror, quocunque feror;* tum ubi statuit, talem unumquemque, bonum nempe, aut malum esse, qualis seu bonus, seu malus illius amor fit. Cùm neque aliunde, quàm ex hominis moribus argui illius bonitas, & malitia possit; neque



que vel mores cuiusquam ab eisdem actibus, vel actus ab affectibus, vel affectus postremo ab amore, qui eorum omnium universalis causa est, in bonitate, aut malitia dissideant. (*Ep. 52. ad Maced.*) *Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores*: ac proinde talis est quisque, qualis ejus dilectio. (*Tr. 2. in Ep. Joa.*) Nec diversa Thomæ Aquinatis mens fuit, dum omnes animi affectus ab amore similiter proficisci docet, ac omnes unius arboris rami ex eadem radice oriuntur. (*1. p. qu. 20. a. 1. & 1. 2. qu. 25. a. 2.*) *Omnes alii actus appetitivi præsupponunt amorem, quasi primam radicem*: suum hoc effatum confirmans naturali ordine, secundum quem proprium amoris objectum cæterorum quæque affectuum objecta necessario præcedit. Quemadmodum enim bonum potest animo concipi, merè prout bonum, & sinè ulla absentis, vel præsentis imagine, sub qua proprium est desiderii, spei, & voluptatis illud respicere, multoque magis seorsum ab ea mali specie, quam propositam sibi habere, odii, aversionis, timoris, tristitiæ, atque iræ affectibus convenit: at nullum contra ex hujusmodi objectis sinè præcedenti aliqua illius repræsentatione concipi potest: sic amor quoque, cujus speciale dif-



crimen à reliquis animi affectionibus est, bonum prout merè tale intueri; debet iis omnibus, perinde ut ipsius objectum earum omnium objectis, naturæ primatu, & ordinis prærogativâ anteire: adeò ut neque ipse ullâ earum ad existendum indigeat; neque earum ulla, nisi per ipsum excitari in animo queat.

2. Quanquam, quid opus est accersitis hinc indè testimoniis veritatem comprobare; cujus sibi testis unusquisque certissimus esse potest, dummodo mentis oculos ad interiorem suam agendi rationem reflectat. Idque ut manifestius fiat, quæro ex te, Lector, cur hoc, illudve bonum cupias, speres, adesse gaudeas, contra autem hoc, vel illud malum oderis, metuas, sique acciderit, irâ, & mœrore perturberis. Ullâmne depromere aliam potes hujuscemodi affectuum causam, præter tuum amorem erga personam, cui primum utile est, alterum verò adversatur? Nullam certè aliam: nam cæteroqui, si amor iste abesset; tam parùm illa bona, vel mala te afficerent; quàm parùm afficiunt eorum bona, vel mala, quos minimè amas. Ità omnino se res habet: Eadem objecta, si amemus, nostros animos commovent: si non amemus, prorsus immotos, & sinè ullo sui sensu relinquunt. Unde qui-

qui-



quavis facilè colligat, amorem convenientif-  
simè dici posse novam ipsius animæ animam:  
ideoque, velut corpus animâ destitutum ne-  
que videt, quæ præ oculis habet; neque au-  
dit, quæ ad aures suas accidunt; sic animam  
quoque, si omni amore esset vacua, esto bo-  
na, atque mala illius menti se objicerent; per-  
stituram tamen mortuæ, & nihil sentienti si-  
mitem, absque ullo penitùs vel propensionis  
ad illa, vel fugæ ab his motu.

3. Imò tam naturale amori est, univer-  
sos animi affectus pro suo arbitratu excitare,  
iisque tanquam ministris uti, ut D. Augusti-  
nus vix ullam inter ipsum, atque illos distin-  
ctionem admittat, neque in sensu minùs lato,  
& universali videatur nomen amoris, quàm  
nomen affectûs accipere. Unde est, quòd  
omnem affectuum diversitatem ad diversas  
tantummodo revocet amoris unius qualitates:  
nihil esse aliud cupiditatem affirmans, nisi a-  
morem absentis boni inveniendi sollicitum:  
nihil aliud lætitiâ, nisi amorem in bono jam  
reperito acquiescentem: nihil aliud timorem,  
nisi amorem profugum ab objectis suo bono  
contrariis: nihil aliud tristitiâ, nisi amorem  
de hujusmodi contrariorum præsentia ægrû.  
En ipsa ejus verba: (L. 14. de Civ. c. 7.) A-



*mor inhians habere, quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, letitia: fugiens, quod ei adversatur, timor est: idque, si acciderit, sentiens, tristitia est.* Quæ tam latè patens amoris significatio, & natura confirmari videtur recepto apud Theologos sentiendi, & loquendi usu circa præcipuum inter omnes amores, nempe amorem divinum: cùm quemcunque actum voluntatis, qui pro objecto DEUM habeat, sive ille desiderium sit, seu gaudium, seu spes, amoris divini actum vocitent: tanquam si amoris nomen generis ratio sit, eadem in quovis prædictorum actuum, quæ per adjunctas unius ab altero peculiare differentias, jam spei, jam desiderii, jam gaudii species constituat.

4. Verùm hæ omnes loquendi formæ nihil denique exprimunt aliud, nisi amorem unum esse, à quo cæteri omnes affectus excitantur in anima, eamque hoc, vel illo pacto commovendi vim habent: ut propterea dici possit unus ipse agere, quidquid ab eorum singulis agitur: quemadmodum supremus copiarum Imperator dicitur victoriam reportare de hostibus, ab exercitu suo profligatis: & Princeps palatium ædificare, quod à fabris illius jussu, atque impensis exstruitur. Unde

An-



Angelicus Doctor post duplicem rationem propositam, qua universale dici aliquid possit, nempe vel secundum affirmationem, cuiusmodi est quodvis genus plures species complexum; vel secundum operandi virtutem, cuiusmodi quævis causa, producendis quibusque alicujus generis effectibus par; concludit: in posteriori hac significatione affectûs universalis titulum amori congruere. (1. 2. qu 46. a. 1.) *Generale dupliciter dicitur: uno modo per prædicationem, quemadmodum animal est generale ad omnia animalia: alio modo per causam, sicut sol est causa generalis omnium, quæ generantur. Et per hunc modum potest dici generalis passio amor, ut patet per Augustinum. Amor enim est prima radix omnium passionum.* En igitur, quid interpretis tam idoneo testimonio Augustinus intellexerit, cuilibet primariarum quatuor affectionum amoris nomen tribuens hoc, aut illo modo operantis: non aliud profectò intellexit, nisi prædictos omnes animi motus vi amoris, tanquam universalis eorum causæ excitari: atque ità per metonymiam, effectui nomen accommodans, cupiditatem, lætitiã, metum, atque ægritudinem, tanquam motus ab amore produci in anima solitos, amoris cupidi, læti, metuentis, atque ægri vocabulo expressit.

5. Idem



5. Idem quoque dicendum est de pervulgato apud Theologos more, divinum amorem vocandi quoscunque desiderii, gaudii, vel alterius speciei affectus, qui pro suo incitamento, & objecto bonitatem DEI habeant: nimirum neque ipsos in prædictis affectibus propriam, & germanam amoris indolem, sed meram solummodo effectuum ab ipso productorum rationem agnoscere. Præsertim, quòd Theologi amorem divinum non tantum pro unico affectu inter cæteros omnes primo, ac præcipuo; verum etiam pro peculiari virtute accipiant, cujus objectum DEUS fit, prout bonum in se ipso infinitum, & ad quam omnes nostri actus, summo illo objecto impellente concepti, esto cæteroqui alii ab aliis diversi pertineant: idque propter singularem excellentiam, quam inter omnes hujusmodi actus ille unus præsert, qui amor propriè appellatur: dignus hac de causa illis visus, qui universæ virtuti, ceu illius pars præcipua, & singulis quibusque ejus actibus, tanquam commune omnium principium, nomen suum impertiretur. Ad quam rem luculentius declarandam, exemplo esse potest Theologicarum virtutum alia, quæ, licet ipsa quoque ex permultis, diversisque affectibus



bus constet; ab eorum tamen uno, spe videlicet, suum nomen desumpsit. Quemadmodum ibi timorem, odiúmque peccati inter proprios Theologicæ spei actus recensemus, spem accipientes, haudquaquam in primario suo sensu pro certa, & ab omnibus aliis differenti affectione animi: (ad eam quippe ità sumptam nullo modo posset timor, aut odium spectare) sed in novo, ampliorique significatu, à Theologis ei superaddito, pro una quapiam nimirum peculiari virtute, omnes illos actus complexa, qui, licèt secundum proprias suas species ab invicem differant; in ratione tamen DEUM aspiciendi, tanquam summum hominis bonum, indiscriminatim conveniunt; sic amoris Theologici nomine insigniri solent universi, & singuli actus, sive odii, sive desiderii, sive alterius cujuslibet generis, ad quos concipiendos infinita DEI bonitas per se ipsam spectata incitamentum, atque causam voluntati præbuerit: quia licèt ii minimè ad amorem pertinent, in germana, & nativa significatione sua acceptū, pro primo videlicet, ac cæteris omnibus præeunte animi affectu; possunt tamen ad eundem spectare in latiori alio sensu consideratum, ceu supremam nimirum inter omnes Christianas virtutes.



6. Cæterum necesse omnino esse, ut inter affectus boni studiosos, putà desiderium, spémque, & lætitiã, aliis itèm quispiam, diversæ ab iis omnibus speciei, & eos omnes natura præcurrens, nempe amor existat, tam liquidò cuilibet patet, ut nemo est, quin palàm perspiciat, neutiquam posse à nobis ulli personæ boni quidpiam desiderari, & sperari, quódque ipsa eo potiatur, gauderi sinè præcedenti alio erga ipsam affectu, qui minime fit vera spes, verúmque desiderium, & gaudium, sed necessaria duntaxat secundariorum ejusmodi affectuum causa: nempe nisi priùs eam personam amemus. Adde, quòd bonum, ceu à nobis jam ut præsens, jam ut absens concipitur, alitèrque hac, vel illa ratione conceptum nos afficit; ità concipi adhuc potest, quasi ab omni tum præsentia, tum absentia per mentis apprehensionem sejunctum, & aliquem sub hac itidem specie in animo affectum cieri. Quæro jam, cujusmodi futurus fit ille affectus, quem tunc excitabit. Desiderium certè, aut spes esse non poterit: cùm hi affectus necessariò requirant, desideratum, speratúmve bonum, quasi absens animo concipi. Sed neque lætitiã: cùm hujus proprium sit, non nisi ex præsentis boni objectu exci-



citari. Reliquum ergo est, ut motus animi esse debeat, tum à prædictis bonum appetentibus, tum ab aliis malum fugitantibus differens: ille scilicet, quem amorem speciatim vocamus, quique propterea definiri potest, affectus in appetitu proveniens ex imaginatione boni, merè prout boni, neque ullam insuper exhibentis seu præsentis, seu absentis sue speciem. Quòd si aliquis propriam illius indolem, rationemque, qua erga bonum fertur, paulò sibi distinctiùs explicari cuperet; non alia meliori explicatione uti possem, quàm quæ relicta à D. Thoma est, dum amorem aliàs *complacentiam boni*, aliàs *inclinationem quamdam ad bonum* vocavit: (1. 2. qu. 23. a. 4. & qu. 25. a. 2.) Secundùm hanc itaque Doctoris Angelici descriptionem, & veluti imaginem, amare aliquid nihil significabit aliud, nisi in appetitu experiri intimam quamdam erga ipsum propensionem, & nescio quem quasi impulsum, non utique ad illud re ipsa acquirendum, (hoc enim proprium desiderii est) sed ad contemplandum, & præsens in animo habendum: nec non præterea illud approbare, lætùmque & contentum eo esse, non quòd jam possideatur, utilitatemque aliquam afferat, (id enim ad lætitiæ, gaudiique affectum



etum pertinet) sed solummodo, quia bonum in se ipso est. Ac proinde, quoties boni quidpiam mente apprehendimus, nullo pacto advertentes, careamusne illo, an potiamur, sed de sola bonitate illius cogitantes, ergaque illud ita conceptum nos suaviter rapi, & dulci sympathia affici persentiscimus; tunc enim verò dici poterit, quòd illud affectu, qui merè, propriaque amor est, prosequamur. Unde etiam colligere rationem fas est præcipuè illius efficacitatis, qua pulchritudo rapere in sui amorem animos solet: cùrque illam Platonicus potissimum esse, imò unicum objectum doceant, cujus gratià amandi facultatem à natura acceperimus. (*Max. Tyr. Diff. 11.*) Cùm enim teste D. Thoma, (*1. 2. qu. 25. a. 2.*) nihil aliud sit amor, quàm complacentia boni, nihilque aliud pulchrum esse omnes sentiant; quàm objectum bonitatis suæ merito placere intuentibus natum, manifestò apparet, quanta inter utrumque convenientia, & proportio intercedat: quàmque naturale, nè dicam necessarium voluntati sit pulchrum amare: nimirum delectari de objecto, quod aspici nequit, quin aspicientes delectet.

8. Constituto igitur, & rite admissò, primum hunc boni gustum, qui amor specialiter  
nun.



nuncupatur, esse animi affectum, quibuslibet aliis necessario priorem, adeoque omnes illos auspiciis suis moderantem, ut nullus seu excitari possit, nisi ipse jusserit; seu permanere, nisi quamdiu ipsi libeat; seu tendere, nisi, quò ipse impellat: posito hoc, dixi, admissoque: apertissimè indidem sequitur, ad illam inducendam in affectus hominis formam nihil ultrà requiri, quàm ut eadem in amorem hominis inducatur: illudque objectum, quod animæ amorem suo dominatui subjecerit, ejusdem simul animæ, omniumque illius motuum posse Dominum dici. Simili pacto, ac Margaritarum pisces, ubi illam unam, quæ instar Ducis, ac Reginæ, aliarum minorum vulgus solet post se trahere, in suam potestatem redegere; (*Ælianus L. 14.*) nullo jam negotio cæteram quoque multitudinem, utpote amisso sui cursûs rectore incertam, & immobilem capiunt. Cùm itaque conatus ego jam pro viribus sim, Lectorum meorum animos ad DEUM omni ope, studioque amandum impellere, tum in prima operis parte, ubi incomparabiles illius prærogativas fusè, ac singillatim descripsi; tum in proximo superiori capite, ubi simul coacervavi, & voluntati pressius admovi, quæcun-

M

que.



que incitare illam poterant, ut divino se amori totam devoveret; videri jam possum ad ultimas pervenisse mei operis metas: nec quidquam causæ habere, cur illud ulterius pertexam, suadendo, hortandoque, ut de DEO assidue cogitetur, ut illius gloria curæ sit, ut de infinita illius beatitudine gaudeatur, utque cæteri erga illum exerceantur affectus, quos erga dilectas sibi personas sua sponte, & sine ullis aliorum hortatibus exercere quilibet solet. Vel enim divinus ille, de quo egimus, amor in Lectorum animis excitatus jam est; vel nullis, quæ adhibita hæctenus sunt, argumentis excitari sat potuit. Si altero hoc modo se res habet, nè quidquam sperari potest futurum, ut ii primo hoc gradu nondum facto ad superiores procedant. Nam, veluti nemo id potest amare, quod necdum noverit; sic neque desiderium, spem, gaudium, sive alium quemvis affectum concipere erga id, quod non amet. Ac proinde, quemadmodum inconsultè ageret, qui conaretur ad amorem objecti mihi ignoti me confestim impellere, sed curandum tantummodo ipsi esset, ut ejusmodi objectum amaturus necessariam mihi prius illius notitiam compararem; ita stultus labor meus esset, si ad DEUM in-

ces-



cessanter animò retractandum, & majorem ipsius gloriam ubique exquirendam sedulò, instantérque adhortandos sumerem, qui omni ejus amore sint vacui: nec aliud suadere talibus possem, nisi ut idoneam ad prædictos actus habilitatem consecuturi eximium DEI amorem, unde ii tanquam ex unico, & necessario suo principio oriuntur, studerent in se ipsis accendere. Sin verò primum illud accidit, & sacer hic amor excitatus jam abunde in Lectorum animis est; supervacuum, imprudensque, & hominis stultè actum agentis labor fuerit, novos his stimulos addere, ut eos erga DEUM voluntatis actus exercent, ad quos prædictus illius amor finè ullo alio, & plus quovis alio exteriori incitamento urgere animos, qui penitus se conceperint, solet. Non aliter ac supervacuè, ineptèque agere ab omnibus diceretur, qui magnopere laboraret efficere, ut lapis alta è turri demissus, humum versùs tenderet, quò finè ulla alterius operatione ab innato suo pondere continenter impellitur.

8. Sed quamvis secundùm rationes hìc propositas alienum à prudentia, & recto consilio videatur, ad proprias divini amoris exercitationes eos incitare qui ad DEUM rite a-



mandum, quantum fieri poterat, incitati primum sunt, tanquam opus vel minimè valiturum, si prædictum in amorem nondum conceperint, vel minimè necessarium, si eo succensi jam sint; plus tamen ponderis, ut nè supervacuum existimem, divino amore flagrantibus secundarios hujusce amoris actus commendare, habet penes me sequens ratio. Quia nimirum, licèt anima principium aliquod intrà se habeat, ad nonnullorum actuum exercitationem se inclinans; si tamen illud subindè expergefaceret, vividumque tueri, & nativa illius virtute uti per socordiam negligat; fieri utique potest, & sæpe revera fit, ut in actus vel nullo modo, vel remissè admodum, languidèque exerceantur. Sic exempli gratiâ, licèt primæ duæ syllogismi evidentis propositiones principium sint ad tertiam admittendam validissimè impellens; potest tamen, qui ratiocinatur, postquam firmissimè assensus illis est, vel quòd progredi usque ad conclusionem nolit, vel quòd aliò interim mentem averterit, minùs perfectum, imò etiam nullum aliquando huic assensum præstare. Quemadmodum igitur nequit supervacuum, & inutilis meus labor videri, si conclusionem aliquam homini ejus ignaro de-



demonstraturus post allatas propositiones ; unde ipsa evidenter sequitur , illam quoque ipsam conceptis verbis expressam , & diserta illius confessione sancendam adjunxero : imò sic agens meliùs assequor , ut eam ille evidenter percipiat , indubitanterque admittat , quàm si contentus illius consensu circa solas veritates prævias , mihi que persuadens , conclusionem palàm inibi inclusam ab ipso per sese erutum iri ; vel nullo illam pacto , vel intrà unū *ergo* contractam , depromerem ; simili ratione , quamvis amor naturali suo instinctu reliquos omnes animi affectus erga objectum suum rapiat , neque minùs legitima hæc conclusio sit , tu amas DEUM ; ergo in votis tibi esse , & afferre lætitiã debet , quidquid ad gloriam illius facit ; quàm hæc alia , sol lucet , ergo dies est ; non tamen jure dici ego potero , actum inutiliter agere , si , postquam meos Lectores ad DEUM toto pectore amandum permoverim , commendare illis pergã eorum exercitationem affectuum , ad quos cæteroqui ipsemet illius amor solet impellere , palàm iis faciendo consequentis hujus cum principio illo nexum . Imò , hanc agendi viam iniens , efficacius ab iis obtinebo , ut prædictum consequens practicè , ac re ipsa ex prin-



cipio illo eruant, nempe ut ea, qua par est, sedulitate ad exercendos affectus amoris sui proprios incumbant; quàm, si fati haberem, prædictum tantummodo amorem in eorum cordibus inseruisse: sperans, mox illos, quamvis nullo præterea incitante à sola ejusdem vi abunde impulsum iri ad consentaneos ei actus promendos. Cùm fieri è contrario posset, ut seu per voluntatis torporem, & desidiam, seu ob mentis hac illac discursantis aberrationem, otiosum in suo animo id principium relinquerent, nec, quo decet studio, & conatu applicarent ad eorum productionem effectuum, qui in nativa illius vi continentur.

9. Hujusmodi, inquam, est ratio, quæ mihi persuadet, pios quoslibet erga DEUM affectus posse utiliter vel iis commendari, qui sacro illius amore succensi quàm intimum, tam perpetuum, & efficax in hoc habent ad eos exercendos incitamentum. Quapropter in reliquis hujus libri capitibus pergam, ceu ejusdem initio proposui, de affectibus loqui, ad quos proprium cujusvis amoris est, suo igne jam correptos impellere: deque illis loquar, haud novas uniuscujusque rationes ex DEI amabilitate depromens, sed ostendens Lectori quem apud me statuo, firmum ex  
pri-



pridem dictis jam concepisse, inque animo  
 fovere propositum amandi DEUM ex toto  
 corde, ex tota mente, & ex totis viribus suis)  
 quàm intima unicuique ex huiusmodi affecti-  
 bus cum prædicto suo amore intercedat co-  
 gnatio: quàmque conveniens, proclive, &  
 vix non necessarium sit eos exercere, propri-  
 um ipsorum principium, & semen intrà se  
 habenti. Quod erit, conceptum ab eo amo-  
 rem, ut alacrius, promptiusque operetur,  
 quasi concutere, agitare, & innatæ virtutis  
 suæ commonere: quemadmodum, etiam abs-  
 que novo lignorum adjectu, ex mera sufflati-  
 one vegetiorem fieri, & vividius exardescere  
 ignem aspicimus. Prius tamen, quàm id fa-  
 cere singillatim aggrediar, operæ mihi preti-  
 um videtur, de generali quadam conditione  
 agere, quam nostro erga DEUM amori inesse  
 admodum cupio, ceu plurimum momenti al-  
 laturam, ut, quantò suavius, tantò etiam fru-  
 ctuosius propositæ illius exercitationi  
 operam demus.

